

2000 TSJCL Sight Recitation  
Levels IV and V

Una in praecelsā cōnsēdit rūpe Celaenō,  
īnfēlix vātēs, rumpitque hanc pectore vōcem:  
"Bellum etiam prō caede boum strātīsque iuvencīs,  
Lāomedontiadae, bellumne īferre parātis  
et patriō Harpyiās īnsōntīs pellere rēgnō?  
Accipite ergō animīs atque haec mea fīgite dictā,  
que Phoebō pater omnipotēns, mihi Phoebus Apollō,  
praedīxit, vōbīs Furiārum ego maxima pandō.  
Ītaliām cursū petitis ventīsque vocātīs:  
ībitis Ītaliām portūsque intrāre licēbit.  
Sed nōn ante datam cingētis moenibus urbem  
quam vōs dīra famēs nostraque iniūria caedis  
ambēsās subigat mālis absūmere mēnsās."  
Dīxit, et in silvam pennīs ablāta refūgit.  
At sociīs subitā gelidus formīdine sanguis  
dēriguit: cecidēre animī, nec iam amplius armīs,  
sed vōtīs precibusque iubent exposcere pācem,  
sīve deae seu sint dīrae obscēnaeque voloucrēs.  
Et pater Anchīsēs passīs dē lītore palmīs  
nūmina magna vocat meritōsque indīcit honōrēs:  
"Dī, prohibēte minās; dī, tālem āvertite cāsum  
et placidī servāte piōs." Tum lītore fūnem  
dēripere excussōsque iubet laxāre rudentīs.